DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PHARMACODYNAMICA DE REMEDIIS QUAE METHODO DERIVATORIAE INSERVIUNT

QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.
CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITERARUM UNIVERSITATE JENENSI
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
DIE XI M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AUGUSTUS THEODORUS MARCUS
DRESDENSIS.

JENÆ
TYPIS BRANII.

VIRO

PERILLUSTRI EXCELSISSIMO

CLARISSIMO

LUDOVICO CHOULANT

PHILOSOPHIAE MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI AUGUSTISSIMI REGIS SAXONIAE A CONSILIIS AULICIS ET RERUM MEDICINARUM PUBLICARUM ACADEMIAE CHIRURGICO-MEDICAE ET SCHOLAE VETERINARIAE DRESDENSIS H. T. DIRECTORI MEDICINAE PRACTICAE IBI PROFESSORI CLINICES THERAPEUTICAE DIRECTORI CONSILII EXAMINATORII MEDICI SOCIO COMPLURIUM SOCIETATUM DOCTARUM SODALI ETC.

ET

V I R O

AMPLISSIMO EXCELLENTISSIMO

HERM. EBERHARDO RICHTER

PHILOSOPHIAE MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ACADEMIAE CHIRURGICO - MEDICAE DRESDENSIS INSTITUTI POLICLINICI DIRECTORI PROFESSORI COMPLURIUM SOCIETATUM DOCTARUM SOD. ETC.

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

FAUTORIBUS

HUNC LIBELLUM

EXIGUUM GRATI ANIMI DOCUMENTUM

OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Remedia pharmaceutica illa, quae methodo derivatoriae inserviunt, in distributionibus variis materiae medicae plerumque sunt dispersa, cum et in systemate naturali singulis classibus naturalibus adnumerentur, et in distributione secundum vires varias universales vario in loco ponantur, et praeter remedia pharmaceutica etiam chirurgica huc pertineant, quae non in materia medica, sed in encheiridiis chirurgicis tractantur. Quae cum ita sint, componere haec methodi derivatoriae remedia et clarum eorum conspectum dare conatus sum.

Omnia remedia huc pertinentia cum talia sunt, quae methodo derivatoriae solum inserviant, vel quorum finis generalis certe in derivatione positus est, tum illa, quae saepe quidem, sed non solum ejus caussa adhibeantur, sed etiam ad alias indicationes adhuc explendas in usum proferantur.

Ad illa, quae methodo derivatoriae praecipue et solum inserviunt, adnumeranda sunt et pharmaceutica et chirurgica, ex quibus illa hoc habent inter se commune, ut vim suam derivatoriam ad cutem externam praebeant. Hac de caussa etiam vim eorum internam prorsus praeterii. Dein sequentur remedia chirurgica.

Remedia et chirurgica et pharmaceutica Vesicantia nominavi, neque aliter praeterea distribui, quamvis in tres tribus dividi adhuc possent, prout efficiant aut inflammationem erysipelatosam, aut vesiculosam, aut ulcerosam.

INTRODUCTIO.

Methodus derivatoria efficere debet, ut fluxus actionis morbosae mutetur et alio dirigatur.

Indicatur, si organa gravia morbo affecta sunt, qui organismo celere minitatur et magnum periculum, dein si morbus metastatice ab externis et minus gravibus organis ad interna et graviora transiit, et si statu aliquo morboso producta morbosa exoriri minitantur, aut jam exorta sunt. Deinde inservit etiam interdum methodo irritanti et sedanti, tandemque saepe etiam indicationi symptomaticae et vitali. At coërcendus est ejus usus in crisibus accedentibus, ne hae eo perturbentur, deinde in morbis universalibus aut certe multis organis affectis, in sensibilitate nimia et ubi affectio morbosa organi ipsius, ad quod derivare volumus, timenda est.

Efficit autem usus methodi derivatoriae mutationem actionis vitalis morbosae eo, ut antagonismo organorum, organon aliud magis incitet, aut adeo morbose afficiat, qua re actio morbosa in organo prius affecto imminuitur, vel tollitur, cum ea in illud, ad quod derivamus, ducatur. Unde autem sequitur simul, ut organon, in quod derivare licet, minus grave esse semper debeat, et actio ejus eo modo augeatur, ut neque a fine aberretur, neque novum malum periculosum exoriatur. Maxima igitur cautione opus erit et in eligendo organo, quod focum derivationis fieri volumus, et in vario gradu, et modo derivationis ipsius.

Organa, quibus utimur derivandi caussa sunt cutis externa, tractus intestinorum et renes, quorum primum longe saepissime eligitur in maxime variis

statibus morbosis, tractus intestinorum in morbis capitis et systematis nervosi, renes in morbis pulmonum et omnino pectoris.

Remedia, quae methodo derivatoriae inserviunt hac de caussa in varios ordines redigi poterunt pro varia efficacitate, quorum primus ea amplectitur, quae in cutem praecipue tendunt, alter, quae in tractum intestinorum, tertius, quae in renes vim insignem prae se ferunt.

Cap. I.

Remedia vesicantia.

§. 1.

Huc pertinent remedia illa, quae in cute externa adhibita, hanc in loco tacto aut inflammatione erysipelatosa afficiunt, aut epidermidem extollunt et secretionem humoris serosi efficiunt, aut denique ulcera artificialia procreant. Sunt autem et pharmaceutica et chirurgica.

Cui ordini praeterea etiam adnumeranda sunt ea remedia, quae inflammationem veram cutis non adducentia, congestiones in illam solum efficiunt. Huc pertinent frictiones cutis pannis laneis aut scopulis verrendis, applicatio cucurbitarum siccarum, inunctiones unguentorum, linimentorum et spirituosorum irritantium, urticationes, lotiones aceto, balnea manuum et pediluvia calida, aut simplicia, aut sapone et herbis aethereo-oleosis aut sale culinario, sinapi, spiritu salis ammoniaci etc. adpositis.

In adhibendis his remediis observanda est, et affectio magis superficialis vel profundior, volatilior vel magis perdurans, et sensibilitas aegroti ipsius, sexus, aetas, et ipse locus, in quo applicantur.

§. 2.

Semina sinapis.

Sinapis nigra L. — Apud nos colitur. — Tetradynamia Siliquosa L. — Cruciferae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 115. Tetradynamae Reichenbach.

Partes constituentes. Oleum aethereum et pingue, sinapium etc.

Oleum aethereum in seminibus nondum formatum est, sed aëre demum et aqua accedente exoritur.

Vires. In usu externo sinapis celerrime ruborem fortem et intensivum, inflammationemque erysipelatosam efficit. In cute sensibili dolorem vehementem et vesiculas interdum ulcerantes, inflammationemque perdurantem procreat.

Usus. Adhibemus semina sinapis, ubi derivationem celerem et fortem et minus perdurantem optamus. Remedium est gravissimum in affectionibus vitalibus, praecipue in statibus apoplecticis, suffocatoriis aut minitantibus aut jam praesentibus, in congestionibus fortibus ad organa pectoris et capitis versus; deinde in febribus nervosis et typhosis, in gravitate magna capitis, sopore, delirio perdurante, subito virium colapsu, in febribus exanthematicis, si exanthema aut retardat, aut recessit, in metastasibus, in inflammationibus organorum capitis, pectoris et abdominis; ad restituendas secretiones normales et morbosas, praecipue in mensibus et sudoribus pedum suppressis; in profluviis sanguinis spasticis, vomitu vehemente, in diarrhoeis et dysenteria. Praeterea saepe sinapis adhibetur in morbis nervosis, in spasmis pectoris, in paralysibus, spasmis clonicis et tonicis et affectionibus quibusdam hystericis, in deliquiis animi, asphyxia, morte apparente.

Sinapismi ita parentur optime, ut semina contusa

aqua calida in pultem redigantur, dein nuper parati adhibeantur. Ad sinapismum mediae magnitudinis poscuntur ℥β. - ʒ vj. pulveris seminum sinapis. Minus apte parantur sinapismi aceto et farina secalis cerealis appositis. Ad vim eorum adaugendam adjicitur haud raro piper nigrum et hispanicum, armoracia etc.

Tempus, quo vis sinapis expectari potest, pro varia cutis sensibilitate varium est, a sexagesimis quinque ad semihoram. In applicatione longiore vesiculae exoriuntur dolore vehementissimo et ipsa gangraena. In magna sensibilitate, ad vim sinapismi moderandam, pannus cous tenuissimus inter eum et cutem ponitur. Praeterea utimur pulvere seminum sinapis ad acuenda balnea, cui fini copia sufficiens ejus aqua calida infunditur et balneo adjicitur. — Praeterea adhibitum est etiam externe oleum sinapis aethereum, eadem de caussa, ut sinapismi; miscentur tum guttae ejus xjj. cum spiritus vini ℥β. aut olei olivarum ʒjj., quae mistio aut interitur, aut linteis ex eo humefactis applicatur. Vis celerrima quidem esse solet, sed dolorosior etiam quam sinapismorum, neque raro vesiculae exoriri dicuntur.

Acrimoniam sinapis imminuunt ardor, acida, alcalia, ammoniacalia, plures sales metallici, qui igitur evitandi erunt, si fortem sinapis vim et efficacitatem cupimus.

Usus sinapis externus jam veteribus notus erat; applicuerunt sinapismos in vulneribus a canibus rapidis permotis et in veneficiis quoque aliis externe iis usi sunt. Archigenes commendat usum sinapis externum minus in morbis acutis quam in chronicis. In epilepsia et mania adhibuit sinapismos in capite appositos, in paralysi sphincteris ani suppositoria egregie laudat ex sinapi parata. Parati sunt sinapismi cum ficis aut pane.

Cognovit etiam jam Archigenes vim aceti sinapismorum efficacitatem imminuentem. Si vis celerrima et fortis exoptabatur, praeterea adhuc fomentationes in loco sinapismo afficiendo spongiis aqua calida humefactis parari jussit.

§. 3.

Radix armoraciae s. Raphani rusticani.

Cochlearia armoracia L. In Germania sponte crescit et saepe colitur. — Tetradynamia Siliculosa L. — Cruciferae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 115. Tetradynamae Reichenbach.

Partes constituentes. Oleum aethereum acerrimum, resina amara, saccharum et principium extractivum, gummi, amylum, acidum aceticum etc.

Vires. In usu externo radicis armoraciae exoritur inflammatio erysipelacea, quae celerius etiam provocatur, quam sinapismis, sed celerius quoque iterum evanescit.

Usus. Utimur radice armoraciae ut remedio rubefaciente, si celerem et fortem cupimus derivationem ad cutem externam. Versus iisdem in morbis, ubi sinapismos adhibemus et interdum quoque, si periculum in mora est, neque sinapis semina adsunt, in loco eorum ponitur. Radix armoraciae trita aut per se aut cum sinapis seminibus, aceto etc. conjuncta adhibetur.

§. 4.

Fructus capsici annui s. Piper hispanicum.

Capsicum annuum L. In India occidentali provenit et in Europa meridionali colitur. Pentandria Monogynia L. — Solaneae Juss. — Cl. VI. Synpetalae F. 90 Solanaceae Rchbch.

Partes constituentes. Resina mollis acris, principium extractivum, gummi, cera, albumen, macorinum etc.

Vires. In cute externa fructus capsici vim rubefacientem mox praebent, post longius tempus inflammationem vehementem et vesicas promovent.

Usus. Apud nos rarissime adhibentur, et fere solum ad sinapismos acuendos. In aliis regionibus uti sinapismi in usum proferuntur.

Forma. Utuntur aut fructibus recentibus, qui in cute applicantur, aut tinctura, cujus gtt. xx.—xxx. infricantur; sinapismis etiam interdum adponitur.

§. 5.

Radix Zingiberis.

Zingiber officinale Roscoe. (Amomum Zingiber L.) planta Indiae orientalis et in Europa meridionali culta. — Monandria Monogynia L. — Scitamineae. — Cl. IV. Coleophyta F. 59. Scitamineae Rchbch.

Partes constituentes. Oleum aethereum, resina mollis acris, principium extractivum, gummi, amylum, fibrina etc.

Vires. Usu zingiberis externo celerrime rubor inflammatorius producitur. Utimur igitur eo ut remedio derivatorio in statibus morbosis supra dictis, aut per se ita, ut radice in pulverem redacta, spiritu vini infusa, eoque accenso, pultem remanentem applicemus, aut sinapismis pulverem radicis adponamus.

§. 6.

Piper nigrum.

Piper nigrum L. Planta Indiae orientalis. — Diandria Trigynia L.— Piperaceae.— Cl. V. Synchlamydeae F. 76. Aristolochieae, Trib. Piperaceae Rchbch.

Partes constituentes. Oleum aethereum, piperinum, oleum pingue acre, gummi, principium extractivum, amylum, bassorinum etc.

Vis piperis externe applicati rubefaciens est et vesiculas efficiens. Per se fere nunquam ut remedium rubefaciens adhibetur, sed solum ad acuendos sinapismos. Adduntur pulveris seminum sinapis ℥β. circiter pulveris piperis ʒjj.

§. 7.

Radix pyrethri.

Anacyclus officinarum Hayne. — Anthemis Pyrethrum L. — Syngenesia Polygamia superflua. — Synanthereae — Cl. VI. Synpetalae F. 82. Synanthereae Rchbch.

Partes constituentes. Resina, oleum aethereum, inulinum, gummi, principium extractivum, camphora, sales varii etc.

Vis. Radix recens in usu externo ruborem et vesicas cutis promovet, qua de caussa adhiberi posset, sed rarissime solum usurpatur. Applicari aut radix recens aut tinctura pyrethri interi potest.

§. 8.

Herba sedi acris.

Sedum acre L. Planta est indigena. Decandria Pentagynia. — Crassulaceae. — Cl. VII. Calycanthae F. 103. Corniculatae Rchbch.

Part. const. Principium acerrimum, fere corrosivum, cera, oleum volatile etc.

In cute externa excitat inflammationem erysipelatosam cum pruritu vehementissimo. Fere nunquam usurpatur. In usum proferri posset succus ejus recens expressus, aut herba obtrita.

§. 9.

Formicae.

Formica rufa L.

Part. const. Acidum formicarum, acidum malicum etc.

In cute externa sunt remedium fortiter irritans, rubefaciens et adeo vesicans. Adhibentur in rheumatismis, arthritide, paralysibus, contracturis, neuralgiis etc. aut in forma tincturae, quae interitur, aut in forma balneorum vaporeorum localium, cui fini mensurae jj—jjj formicarum conteruntur, aqua fervida infunduntur et vapor inde ascendens ad organon aegrotum adducitur.

§. 10.

Terebinthina et oleum terebinthinae.

Pinus silvestris et pinus abies L. — Monoecia Monadelphia L. — Coniferae Juss. — Cl. V. Synchlamydeae F. 70. Strobilaceae Rchbch.

Part. const. Oleum aethereum, resina etc.

Vires. Utroque remedio externe adhibito rubor inflammatorius adducitur, qua de caussa interdum derivandi caussa usurpatur. Illud in forma unguenti, hoc per se ad inunctionem.

§. 11.

Pix alba s. flava.

Pinus abies et picea et silvestris L. — Monoecia Monadelphia. — Coniferae. — Cl. V. Synchlamydeae F. 70. Strobilaceae. Rchbch.

Utimur pice externe in forma emplastri, quod ut remedium rubefaciens, derivans in rheumatismis chronicis, catarrhis, phthisi pulmonali incipiente, uti etiam in curatione tineae et ulcerum scrofulosorum adhibetur.

§. 12.

Euphorbium.

Euphorbia officinarum L. et antiquorum. Planta Africae. — Decandria Trigynia L. — Euphorbiaceae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 122. Rutaceae, Trib. Euphorbieae Rchbch.

Part. const. Resina acris, cera, sales varii etc.

Vires. In cute externa euphorbium ruborem, tumorem et vesicas promovet. Vis non celer quidem est, sed diuturna. Usus inde facile apparet. Praecipue emplastris adjicitur et unguentis, quae vim rubefacientem praebere debent. Per se non adhibetur.

§. 13.

Elemi.

Amyris Plumieri Dec. an Amyris elemifera? — Octandria Monogynia. — Terebinthaceae. — Cl. VII. Calycanthae F. 99. Terebinthaceae Rchbch.

In officinis servatur succus lacteus sole induratus arboris in Africa meridionali indigenae.

Part. const. Principium resinosum, oleum aethereum, principium extractivum amarum etc.

Vires euphorbio similes sunt. Usus solus est externus in unguentis et emplastris rubefacientibus.

§. 14.

Canthariddes.

Meloe vesicatoria L. — Lytta vesicatoria Fabr. Insectum etiam apud nos proveniens. — Ord. Caleoptera. Fam. Trachelides.

Partes constituentes. Camphora cantharidum, principium acre vesicans, oleum viride, firmum,

cerae simile, oleum volatile, acidum uricum, aceticum etc.

Vis cantharidum in cute in eo posita est, ut brevi post usum cum dolore modico rubor inflammatorius cutis et vesicae exoriantur, in quibus humor serosus secernitur. Praeterea cantharides etiam in usu externo interdum organa genitalia et uropoëtica afficiunt, augentes primum secretionem lotii et cupidinem coitus, dein autem dysuriam, stranguriam, ischuriam adeo haematuriam, et quoad organa sexualia, inflammationem et priapismum provocantes.

Ob vim secretiones serosas producentem cantharides sunt remedium gravissimum et nullo alio compensandum talibus in morbis, in quibus inflammatione cutis et excretione serosa actionem morbosam ab organo nobiliore derivare volumus.

Adhibentur cantharides in febre nervosa versatili et stupida, si ad systema nervosum liberandum remedium derivatorium forte, perdurans, neque subitum indicatum est, aut si status inflammatorius simul conjunctus est, aut affectiones paralyticae organorum motoriorum et intestinorum accedere minitantur. Praeterea in febribus exanthematicis, in quibus exanthema ipsum retardat aut jam recessit. In inflammationibus cantharides saepe adhibentur, praecipue in stadio illo, ubi vis earum fracta est, strictura sublata vel certe minuta, et crises imminent. Utimur illis in inflammationibus et acutis et chronicis, praecipue organorum parenchymatosorum et sanguine divitum, ut pulmonum, hepatis, cerebri etc.; in inflammatione organorum membranosorum, uti pleurae, pericardii, peritonaei etc.; et organorum sensibilium, nervosorum, ut in neurosibus, lumbagine et ischia nervosa, ophthalmiis nervosis. — Deinde adhibemus cantharides in

statibus inflammatoriis et subinflammatoriis rheumaticis, ubi tum praecipue in loco sunt, si rheumatismus vagus est et ex partibus externis ad interna versus migrare et status periculosus adducere minitatur, et si jam diu in organo quodam persistit, inflammatorius est et aliis remediis cedere noluit. — Praeterea cantharides usui sunt in haemorrhagiis erethicis pulmonum, ventriculi, uteri; in blenorrhoeis pulmonum, organorum sexualium, oculorum; in profluviis serosis, uti in vomitu spastico, dysenteriis; in variis affectionibus catarrhalibus et acutis et chronicis, praesertim autem in catarrhis pulmonum et bronchialibus inveteratis; in exanthematibus chronicis pertinacibus et retrogradis, in arthritide atonica, inveterata, praecipue autem in impetibus arthriticis retrogradis. Usum creberrimum habent etiam in hydrope, ubi et symptomatice adhibentur, et magnam curationis radicalis partem explent. — Dein in variis phthisibus, praesertim in abdominalibus, laryngea, bronchiale, pulmonali, ubi ad secretionem continuam et subinflammationem chronicam imminuendam aut interdum etiam tollendam egregie prosunt. — Magno quoque usui sunt in neurosibus, uti in spasmis pectoris, paralysibus, apoplexia nervosa, catalepsia, tetano, epilepsia, chorea et in morbis denique animi.

Forma et praeparata. Adhibemus cantharides in forma *emplastri vesicatorii*, quod compositum est ex pulvere cantharidum, oleo, terebinthina et cera. Creberrime adhibetur hoc praeparatum et fortissime etiam et celerrime vim exercet. Emplastrum supra linteum aut corium extenditur; magnitudo ejus varia est pro varia sensibilitate aegroti et afficacitate, quam inde cupimus. Magnitudo vulgaris est chartae lusoriae seu palmae manus. Loci applicationis pari modo varii sunt, cum modo

propius ad organon aegrotum, modo remotius adponatur. Ut celeriorem effectum efficiamus cutis ante emplastri applicationem aceto vini lavatur, aut emplastrum oleo allinitur, aut charta bibula oleo allita cutem inter et emplastrum ponitur. Ut vis augeatur, emplastro inspergitur pulvis cantharidum, aut tinctura cantharidum ante applicationem interitur. Ad debilitandam vim, emplastrum cantharidum emplastro meliloti etc. malaxatur, aut ponitur cutem inter et emplastrum pannus cous tenuis. Intra horas tres vel quatuor accedit plerumque efficacitas emplastri cantharidum rubefaciens, intra octo vel duodecim vesicans ejus. Deinde emplastrum removendum est, vesicae aperiendae, ut serosus humor inde effluat, epidermis, quantum sine dolore fieri potest, removenda et vulnus unguento leni tegendum. Si suppurationem perdurantem cupimus, vulnus unguento irritante ex. gr. unguento cantharidum, basilico etc. tegitur; in secretione nimia unguento saturnino, in magna sensibilitate unguento ex vitello ovi et oleo olivarum parata, in gangraena minitante fomentationibus decocto chinae, extracto myrrhae, vino rubro, aceto pyrolignoso etc. utimur.

Affectiones usu cantharidum diuturno exortae organorum uropoëticorum evitatione cantharidum removentur. Si derivatorium adhuc adhiberi debet, aliud eligitur. Interne emulsiones porriguntur, quibus affectiones plerumque celeriter fugantur.

Praeter emplastrum vesicatorium haec praeparata adhuc in usum proferuntur:

Emplastrum vesicatorium Drouoti. Vis ejus tarda est, plerumque solum rubefaciens, interdum, sed raro tantum vesiculas promovens. Ibi praecipue eo utimur, ubi derivationem perdurantem cupimus, neque secretione copiosa opus est. Praesertim usurpatur in malis oculorum chronicis, odon-

talgiis rheumaticis, ubi magnitudine nummi grossorum quatuor vel octo pone auriculas applicatur. Ante usum spiritu vini humefaciendum est, ut bene haerescat.

Emplastrum vesicatorium perpetuum compositum est ex cantharidibus, euphorbio, cera flava et terebinthina. Vis hujus quoque tarda est et rubefaciens, raro tantum vesiculas promovens. Adhibetur igitur, ubi tarda tantum et modica derivatio indicata est.

Unguentum cantharidum compositum est ex cantharidibus, oleo amygdalarum et cera alba. Fere solum ad sustinendam suppurationem adhibetur.

Jam antiquissimis temporibus cantharidibus usi sunt medici remedio rubefaciente et vesicante. Alexander Trallianus ordinavit eas in arthritide et secretione promota malum leniri vidit. Aretaeus in epilepticis infrictiones instituit cantharidum, et, ne organa uropoëtica nimis afficerentur, aegrotum per plures dies antea lac bibere jussit.

NB. Commendatum est tempore novissimo ad vesicas cum secretione serosa celerius etiam promovendas, quam cantharidibus, metallo in aqua coquente calefacto, aut ipsa aqua coquente cutem afficere. Sed facile haec remedia praeterire poterimus.

§. 15.

Cortex Mezerei.

Daphne mezereum L. Frutex apud nos proveniens. — Octandria Monogynia L. — Thymelaeae. — Cl. V. Synchlamydeae F. 72. Thymelaeaceae Rchbch.

Part. const. Cera nigra, daphnium, oleum volatile, cera, principium extractivum etc.

Vires. Cortex mezerei in cute applicatus celerrime vim rubefacientem et vesicantem demonstrat, cujus sequela secretio est copiosa, serosa; sed exoriuntur interdum etiam ulcera et exanthema pustulosum.

Usus. Propter vim rubefacientem cortex mezerei rarissime solum adhibetur, sed crebrius ut exutorium, et illis quidem casibus ubi perdurans derivatio cum secretione serosa copiosa postulatur; itaque in secretionibus suppressis et normalibus et morbosis, exanthematibus retrogradis, praecipue in chronicis, in ulceribus habitualibus suppressis, in metastasibus, in ulcerationibus internis, inflammationibus chronicis et lentis organorum internorum, in morbis cordis cum hypertrophia, in paralysibus, exanthematibus chronicis, pertinacibus, dyscraticis, in ophthalmiis chronicis.

Forma. Ante usum cortex mezerei longitudine 1—1 ½″, latitudine ½″ per horas octo vel decem in aqua emollitur, dein ejus superficies interna in cute imponitur et firmatur, quod quotidie bis iteratur, usque dum inflammatio cutis et secretio serosa sequatur, quae impositis foliis hederae aut brassicae sustineri, aut panno serico cerato coërceri potest.

Cavenda est affectio nimia loci, in quo applicatus est cortex, et melius hac de caussa locus mutatur, si usu perdurante opus erit, ne ulcerationes profundiores inde exoriantur.

Praeterea adhibetur etiam *pulvis corticis mezerei* ad restituendos sudores pedum retrogrados et secretiones alias suppressas reducendas.

Solutio extracti resinosi in aqua coloniensi externe ut remedium rubefaciens infricari potest.

§. 16.

Unguentum et emplastrum tartari stibiati.

Unguentum est compositum ex tartaro stibiato et adipe, emplastrum ex tartaro stibiato et emplastro adhaesivo.

Vires. In usu diuturno cutis rubore et dolore afficitur, exoriuntur pustulae peculiares, quae ruptae in ulcera interdum in profundum migrantia, transeunt et sanatae cicatrices uti variolae verae remittunt.

Praeterea pustulae etiam in locis unguento non affectis exortae esse dicuntur, praecipue in genitalibus. Promotae esse denique etiam dicuntur inunctionibus unguenti hujus ulcerationes organorum internorum, quod magis etiam dubitandum foret.

Usus. Adhibemus unguentum et emplastrum e tartaro stibiato, si derivationem diuturnam et fortem cupimus; actio tamen tarda est, qua de caussa praecipue in morbis chronicis in usu sunt, praeprimis igitur in illis affectionibus, ubi inflammatione lenta secretiones morbosae, exsudata plastica, exulcerationes, pseudoplasmata, luxuriationes et hypertrophiae accedere minitantur, aut intrarunt, itaque praesertim in inflammationibus chronicis organorum respirationis, encephali, imprimis in hydrocephalo acuto; dein in neurosibus nonnullis, uti in epilepsia, chorea, paralysibus, cephalalgia chronica etc., si hi status morbosi ex exsudatione in encephalo et medulla spinali et subinflammatione oriundi sunt; praeterea in spasmo pectoris, ventriculi, in amaurosi, in ophthalmia scrofulosa aliisque morbis oculorum ex iisdem caussis proficiscentibus. Etiam in perturbationibus animi magno sunt usui, ex. gr. in melancholia, mania et fatuitate, ubi tum adeo adhuc profuerunt, cum spes omnis jam fefellerat.

Efficacitas horum remediorum praecipue inde dependet, ut tartarus stibiatus cum adipe aut emplastro bene mixtus sit; major autem dosis tartari stibiati efficacitatem minus adauget. Qua de caussa praeceptum pharmacopoeae saxonicae aptius est (Rp. Tartari stibiati ʒj. ad Adipis suillae ℥j.), quam illud Autenriethii (Rp. Tartari stibiati ʒjjβ. ad Adipis suillae ℥j.).

Infricatur hujus unguenti copia magnitudinis nucis avellanae bis vel ter per diem in loco apto, ubi tum post aliquot dies pustulae exoriuntur. Frictiones tum seponuntur, aut si opus est, alius locus eligitur pro inunctionibus, usque dum pustulae sanatae sint, aut inungitur unguentum inter pustulas, si fieri potest. Interdum vomitus etiam usu externo accedit, quod tum praecipue evenire dicitur, si tartarus stibiatus ante mixtionem cum adipe in aqua solutus est.

Emplastrum tartari stibiati (tart. stib. pars I. ad emplast. adhaesiv. part. VI—VIII.) supra linteum sive corium extensum adhibetur. Lenius agere dicitur unguento.

Etiam emplastro vesicatorio tartarus stibiatus adjicitur, ad secretionem ulcerosam perdurantem efficiendam, sed cicatrices turpissimas remittit.

§. 17.

Oleum crotonis.

Croton tiglium L. Monoecia Polyandria L. — Euphorbiaceae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 115. Rutaceae Trib. Euphorbieae Rchbch. — In officinis servantur semina hujus arboris in India orientali indigenae, ex quibus oleum paratur exprimendo.

Part. const. Acidum crotonis, ex quo efficacitas hujus remedii maxime dependet, principium al-

calicum, crotonium, principium tingens, stearinum, cera, principium resinoides etc.

In usu externo oleum crotonis ruborem cutis promovet, et exanthema pustulosum aut vesiculosum. Plerumque vim purgatoriam non ostendit.

Utimur oleo crotonis hac de caussa remedio derivatorio forti, rubefaciente et pustulas excitante in inflammationibus chronicis organorum respirationis, in catarrhis diuturnis, in phthisi incipiente, in raucitate vocis et aphonia, in rheumatismis chronicis, ut in odontalgia et otalgia rheumatica, in paralysibus.

In usu externo olei crotonis miscentur guttae IV—XII cum olei sive olivarum, seu papaveris, sive amygdalarum dulcium ℥j, quod infricatur deinde in vicinitate organi affecti.

§. 18.

Hydrargyrium praecipitatum album.

In usu externo hoc remedium ruborem cutis et exanthema pustulosum, fere uti tartarus stibiatus promovet. Sed differt illud eo ab hoc hydrargyrio adducto, ut minus vehementer destruat cutem, minores dolores provocet, celerius pustulas gignat et neque ulcera gangraenosa producat, neque cicatrices remittat. Sed multo fortius hoc agit.

Commendatur Hydr. praecip. alb. in affectionibus chronicis arthriticis, pneumocatarrhis inveteratis, diarrhoeis chronicis et colicis, cardialgiis, dysphagiis, tussi convulsiva, laryngophthisi incipiente, et ophthalmiis chronicis.

Adhibetur in forma unguenti; miscetur hydrargyrii praecipitati albi ʒj. cum adipis suillae ℥j.— *Kopp* unguento usus est ex hydrarg. praecip. alb. ʒj.—℈IV. ad unguenti digitalis ℥j. in loco unguenti ex tartaro stibiato, hujusque per diem ter

vel quater cochlear minus infricari et locum fricatum panno serico cerato tegi jussit.

§. 19.

Cauteria potentialia.

Rarissime solum utimur remediis corrosivis ad ulcera artificialia producenda, quo longius per tempus ab organis aliis derivemus. Huc pertinent praeprimis lapis causticus chirurgorum, lapis infernalis, liquor ammonii caustici.

Quae omnia hoc commune habent, ut usu externo vim destruentem mox ostendant, et pro actione breviore aut diuturniore magis minusve in profundum agant.

Lapis causticus tamen eo ab aliis differt, ut profundissime in telas organicas proficiscatur, dolorem perdurantem promoveat, neque actionem vitalem in parte affecta augeat, sed imminuat et hac de caussa inflammationem cum pure tenui, aquoso, ichoroso provocet, quam ob rem in proclivitate ad fluidisationem, inque depravatione humorum ejus usus omittendus erit.

Lapis infernalis autem corrosionem gignit magis superficialem, neque inflammationem intensivam, expansam, dolore magno conjunctam, sed vehementem quidem dolorem, at mox praetereuntem cum inflammatione mox sequenti, quae suppurationem benignam profert, et granulatione cicatrisationem promovet.

Liquor ammonii caustici, quoad virtutem corrosivam inter remedium utrumque medium tenet.

Usurpamus haec remedia corrosiva ad promovenda ulcera artificialia derivandi caussa in variis affectionibus organorum internorum, quae supra jam pluries commemoravimus in remediis illis, quorum vir-

tus pari modo intensiva est, et ulcerativa et pustulas promovens.

In adhibendo lapide caustico ita agimus: Sumitur emplastrum adhaesivum, in quo foramen est magnitudine ulceris formandi, quod in loco designato applicatur. Deinde vallum formatur in margine foraminis excisi altitudine 2—3''' emplastro cerussae, tum ad locos emplastro liberos lapis causticus ruditer pulverisatus altitudine 2—3''' affertur, qui iterum emplastro illo tegitur. Dein totum emplastro adhaesivo, ligamento et compressa firmatur. Post horas viginti et quatuor ligamenta removentur, crusta gangraenosa ab lapide caustico liberatur et unguento rosato ligatur. Post dies quatuor vel quinque crusta sponte removetur et suppuratio adest, quae aut brevius aut longius per tempus pro vario casu remediis aptis sustinetur.

Eodem modo lapide infernali utimur, tantum vim celeriter ostendit, hac de caussa ligamenta prius removentur.

In adhibendo liquore ammonii caustici emplastrum fenestratum adhaesivum ita applicatur, ut foramen ejus bidigitale circiter, quod ad diametrum pertinet accuratissime in loco sit afficiendo. Epidermis ibi deinde oleo linitur, tum compressa liquore illo humefacta imponitur et emplastro adhaesivo firmatur. Post horam 1—2 effectus adest, ubi tum ligamenta removentur et eodem modo agitur uti in remediis supra dictis.

NB. Nominanda sunt adhuc acidum concentratum sulfuricum, nitricum, muriaticum, liquor stibii muriatici s. butyrum antimonii, hydrargyrium muriaticum corrosivum, calcaria usta, quae vero remedia adhibentur solum ad corrodenda pseudoplasmata, minime autem ad formanda ulcera artificialia, quamvis huic quoque fini in usum proferri possent.

§. 20.

Setaceum.

Setaceum consistit ex linteo longo angusto cum marginibus fimbriatis, sive ex filis compluribus, quae loco quodam per cutem trahuntur.

Est remedium fortissime derivans, cum non modo inflammationem satis vehementem in loco affecto promoveat, sed etiam suppurationem perdurantem.

Adhibemus setaceum hac de caussa, si organon grave internum inflammatione chronica est affectum, qua exsudatio et exulceratio timenda est, aut jam intravit, quaeque remediis aliis tolli non potuit, praecipue igitur in minitante aut jam praesente pneumophthisi, laryngophthisi et tracheophthisi ulcerativa etc. Praeterea utimur setaceo in illis affectionibus, quarum caussae in materia morbose secreta organorum internorum positae sunt, itaque in morbis nervorum et perturbationibus animi. Deinde, ubi secretiones morbosae celeriter aufugerant et alio modo revocari non poterant, si quidem timendum est, ne periculum inde exoriatur organismo. Huc pertinent praecipue sudores pedum retrogradi habituales, exanthemata chronica retrograda etc. Adhibetur denique setaceum in pseudoplasmatibus exortis aut minitantibus, ubi in tempore adhibitum saepe magnum usum ferre poterit.

Cogitandum est autem in setaceo adhibendo, usum brevem rarissime solum bonas et exoptatas adducere posse sequelas, ejusque usum diuturniorem vires haud parum consumere, qua de caussa bonus virium status conditio adhibendi ejus esse debet.

Loci, in quibus applicatur setaceum varii sunt

pro variis organis, a quibus derivari debet, praecipue autem in locis adhibetur musculosis.

Operatio ipsa in eo consistit, ut in loco designato plica cutis formetur, acu apta, in cujus foramine setaceum versatur, illa transfigatur, et acus deinde cum setaceo trajiciatur. Acus tum removetur, setaceum remanet et emplastro adhaesivo firmatur. Ligamenta secundum regulas chirurgiae curantur.

Suppuratione exorta, quod fieri solet post dies II-IV illa removentur et parte recente setacei inducta, adhibita removetur, quo facto ligatur iterum. Quam saepe ligamenta mutanda sint ex suppuratione majore vel minore dependet. Sanguinis profluvia inter operationem exorta, fomentationibus frigidis aut comprimendo sedantur. In inflammatione nimia setaceum oleo aut unguento leni linitur et fomentationes emollientes adhibentur. In suppuratione nimia remedia corroborantia externe et interne adhibentur. Si removere volumus setaceum, paullatim circuitus ejus imminuitur, et remoto illo, ligamen comprimens applicatur.

§. 21.

Fonticulus.

Vulnus est arte productum, ad suppurationem diuturnam promovendam.

Vis et usus fonticuli fere prorsus consentit cum vi et usu setacei. Locus applicationis pro organis variis, a quibus derivari debet, varius est, sed eliguntur lubenter illi loci, ubi telae cellulosae sub cute copia magna adest.

Operatio hoc modo instituitur, ut in loco designato plica cutis formetur, quae scalpello perscinditur. Magnitudo vulneris varia erit pro majore minoreve derivatione, quam efficere studemus. In

vulnere ipso linamenti quantum satis infertur, quo facto ligamenta apta applicantur. Post dies II-III ea removentur, vulnus purgatur, aliquot pisa imponuntur, vulnusque emplastro adhaesivo tegitur. Ligamenta pro varia suppurationis copia quotidie semel vel bis mutantur.

Si fonticulus nimis magnos efficit dolores, aut pisa removentur, aut si plura adsunt numerus eorum minuitur. Eodem modo in inflammatione nimia agimus, ubi fomentationes etiam frigidae adhibendae sunt. Si suppuratio minus copiosa adest, pisa unguento digestivo illinuntur, aut vulnus ipsum lapide infernali tangitur, qui adhibetur etiam in carne luxuriante. Fonticuli removendi sunt, si partes, ubi sunt macrescere incipiunt; et si opus est locus alius eligitur.

Cavendum est, ne fonticuli nimis celeriter sanentur.

§. 22.

Cauterium actuale.

Interdum ferrum candens in cute externa adhibetur, ut derivatio fortis ab loco morbose affecto ad aliam partem provocetur. Vis ejus primaria est partes affectas destruens, sed in partibus vicinis reactio fortis provocatur; vis secundaria inflammationem fortem cum suppuratione diuturna producit.

Usus ferri candentis commendatus est remedium derivatorium in variis paralysium generibus, aliisque neurosibus chronicis et morbis animi. Deinde in exulceratione organorum internorum, in abscessibus frigidis, in malis rheumaticis et arthriticis inveteratis, in variis articulationum affectionibus, praecipue in coxarthrocace aliisque in morbis. At cogitantibus nobis, operationem ipsam dolorosissimam esse et penetrantem, bonum igitur virium statum

adesse adhuc debere, vires operatione ipsa et suppuratione sequenti egregie imminui, operationem plerumque in aegrotis valde debilitatis post alia remedia varia jam adhibita usurpari: apparere inde videtur, usum ferri candentis rarissimum esse debere, praecipue cum successus saepe non respondeat nostrae spei.

Operatio in eo consistit, ut ferrum candens in loco afficiendo imponatur, aut brevius aut longius per tempus pro vario gradu effectus, quem cupimus. Formae ferri candentis maxime variae sunt. Saepissime utimur ferro securiformi. Usus est talis: ferrum candens imponitur et fortiter premendo, lente linea formatur, magnitudinis optatae. Tales lineae plures etiam formari possunt, sed sint inter se remotae digitos certe duos vel tres.

Loci applicationis varii sunt, sed cavendum est, ne organa nobilia nimis vicina sint.

Post usum ferri candentis locus affectus linteo sicco, aut unguento miti tegitur. Si dolores vehementiores sunt fomentationes sedantes faciendae sunt, et saepe interne quoque usus remediorum refrigerantium et sedantium poscitur. Crusta gangraenosa remota locus affectus unguentis ligatur suppurationem sustinentibus.

§. 23.

Moxa.

Moxa est cylindrus xylinus, qui filis aut alio modo continetur, altitudine digitali, circuitu vario, pro effectu optato et loco.

Vis moxa ferri candentis simillima est, sed eo ab illo differt, ut in adhibenda moxa sensus caloris usque ad dolorem vehementissimum paullatim adaugeatur, qui in ferro candenti subitus est, qua de caussa vis moxae fortior esse dicitur et profun-

dius agens; itaque in affectionibus organorum profundiorum aptior erit moxa, ferro candenti.

Indicata est moxa ibidem, ubi ferrum candens.

Moxae ex aliis etiam materiis confici possunt inflammabilibus. Si adhiberi debent, in loco designato imponuntur, et inflammantur. Si effectus celerior esse debet, flando excitantur. Partes vicinae pannis humidis tegendae sunt, ne scintillae moxae eas laedant. Crusta gangraenosa linteo tegitur, aut unguento digestivo, ut crusta celerius removeatur. Remota illa suppuratio tactu lapidis caustici, aut pisis impositis, quae emplastro adhaesivo imprimuntur et firmantur, quo modo fonticulus formatur, sustinetur.

---

§. 24.

Praeter remedia hucusque explorata ad methodum derivantem stricte pertinentia, alia quoque adhuc methodo illi inserviunt, cum, quae efficacitatem tractus intestinorum, tum, quae organorum uropoëticorum, tum, quae functionem cutis externae incitant. Praeterea adhuc nominaverim sanguinis missiones et remedia emetica, quae interdum derivantia adhiberi possunt.

Cap. II.

§. 25.

Remedia purgantia.

Remedia illa, quae virtutem prae se ferunt, motum peristalticum ventriculi et tractus intestinorum accelerandi, sedes expediendi, et fortiter egerendi, saepissime remedia derivantia usurpantur, cum functione tractus intestinorum adaucta, actio mor-

bosa aliis in organis derivatione quadam ad intestina imminuatur. Usus variorum remediorum hujus ordinis pro gradu morbi varius est, utimurque in illis affectionibus, quae derivationem celerem et fortem ad tractum intestinalem versus indicant, iis, quae celeriter et forte vim purgantem ostendunt et incitantem; leniter purgantibus autem, ubi perdurans magis et lenis derivatio in loco est; observanda est autem in omnibus vis aut refrigerans aut calefaciens. In universo dicendum est adhuc, purgantia lenia longius per tempus adhibita, facillime relaxationem tractus intestinalis producere, praesertim in aegrotis phlegmaticis, qua saepe diarrhoeae diuturnae exoriuntur; purgantia vero fortiora torpiditatem intestinorum adducere, praesertim in hominibus fibra adstricta praeditis.

Utimur tractu intestinali ad derivationem producendam in maxime variis affectionibus organorum capitis, ex. gr. congestivis, inflammatoriis, exsudatoriis; in nervorum morbis et animi, ubi drastica fortiora saepissime usui sunt maximo.

Pertinent huc remedia *laxantia*, *purgantia* et *drastica*.

§. 26.

Laxantibus adnumeranda sunt *manna*, *pulpa cassiae*, *fructus tamarindi*; *tartarus depuratus*, *kali et natrum aceticum*, *kali tartaricum*, *tartarus natronatus*, *natrum phosphoricum*; *magnesia sulfurica*, *natrum sulfuricum*, *kali sulfuricum*. Quae remedia leniter excitant tractum intestinalem, secretiones ejus adaugent, motum peristalticum accelerant, et hac re crebriores atque minus firmas sedes producunt. Praeter hanc vim virtutem magis minusve refrigerantem prae se ferunt, qua usus eorum saepe est exoptatus.

Derivationis caussa adhibemus haec remedia praesertim in congestionibus ad caput, quae sine magna vehementia per longius tempus durant, eoque alias affectiones morbosas adducere minitantur; dein prophylactice in congestionibus illorum, qui habitu sunt apoplectico; dein in proclivitate ad inflammationes et in inflammationibus levioribus, ubi sufficiunt interdum per se sola, aut antiphlogisticis antea remediis adhibitis. Vis horum remediorum derivatoria eo fortior provocari debet, et effectus eo magis urgens, quo magis tractus intestinalis torpiditate laborat, igiturque excretiones ejus minutae sunt. In torpiditate et debilitate tractus intestinalis autem adhibenda non sunt, cum augere solum eam et hoc modo malum primarium sustinere valeant.

In adhibendis his remediis cogitandum est, vim eorum derivatoriam paullatim tantum sequi, usuque opus esse diuturniore et certe per plures dies adhibito, quo haud raro organa digestionis laeduntur; qua de caussa in usu eorum bonus illorum status postulatur. Tria ultimo remedia supradicta exceptionem faciunt et fortiorem et celeriorem efficiunt derivationem.

Quibus fortioribus remediis purgantibus adnumeranda sunt:

§. 27.

Oleum ricini.

Ricinus communis L. — Monoecia Monadelphia L. — Euphorbiaceae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 122. Euphorbiaceae Rchbch. Arbor Indiae occidentalis, in hortis culta.

Oleum est pingue acre, quod certo et leniter alvi exonerationes producit, sine effectu secundario ullo noxio. Remedium derivans raro adhibetur, cum tractum intestinalem parum incitet, qua de caussa

vero praecipue in affectionibus inflammatoriis usurpatur, praeprimis in enteritide.

§. 28.

Folia sennae.

Cassia acutifolia Delile. — Cassia lanceolata Forskäl. — Cassia obtusata Hayne. — Decandria Monogynia L. — Leguminosae Juss. — Cl. VII. Calycanthae F. 101. Cassieae Rchbch.

Part. const. Principium efficax est amaritudo quaedam, cathartinum; praeterea oleum volatile et pingue, chlorophyllum, mucus, albumen, acidum malicum et sales plures.

Vires. Senna purgans est remedium tutum, sed tardius, parum debilitans et calefaciens, sed colicam facile et flatulentiam, interdum etiam vomituritiones et vomitum movet. Ut remedium derivatorium in talibus affectionibus capitis, praecipue congestivis hominum lymphaticorum et torpidorum indicata erit, ubi alvi exonerationes copiosae sequi debent, neque vis sennae modice exaestuans timenda est. — In morbis acutis in affectionibus febrilibus et inflammatoriis, aut in nimia sensibilitate, in proclivitate ad colicam aliosque morbos abdominales invitanda est.

Forma et dosis. Optime porrigitur in infuso (ʒjj.-℥β. fol. sennae ad colaturam. ℥vj), aut in specierum forma cum spec. pectoral., aut in electuario lenitivo; minus lubenter in pulvere.

§. 29.

Radix rhei.

Rheum Emodi Wallich. — Rheum australe Don. — Enneandria Trigynia L. — Polygoneae Juss. — Cl. VII. Calycanthae. F. 106. Portulaceae Reichenbach.

Part. const. Acidum rhei, principium tannicum, saccharum mucosum, amylum, acidum tannicum.

Vires. In dosibus minoribus roborans agit ad tractum intestinalem, in majoribus exonerationes alvi crebriores producit et calefacit, qua de caussa in morbis acutis caute adhiberi debet. — Ut remedium derivans praecipue adhibeatur in affectionibus capitis congestivis ex obstructione alvi atonica oriundis, ubi igitur praeter remotionem materiarum collectarum corroboratio tractus intestinalis et organorum digestionis adducenda est. Cui fini adhibemus rheum in forma pulveris ad ʒß.-j. p. d. aut in dosi minore ad gr. x.-℈j. pluries per diem, si minus celerem optamus efficacitatem. Raro infusum rhei ordinatur (ʒjj.-jjj. ad colat. ℥jv.). — Tinctura rhei aquosa ad ℥ß.-j. porrigitur.

§. 30.

Radix Jalapae.

Ipomea Schiedeana Zuccarini. — Pentandria Monogynia L. — Convolvulaceae Juss. — Cl. VI. Synpetalae F. 87. Convolvulaceae Rchbch.

Part. const. Resina, principium extractivum gummosum, amylum, albumen, saccharum et sales plures.

Vires. Jalapa celeriter et tuto copiosas producit exonerationes alvi, neque proclivitatem ad obstructiones relinquit, sed vim magis exaestuantem habet, quam rheum.— Saepe adhibetur ut remedium derivans in morbis nervorum, in stasibus abdominalibus pertinacibus, pituita tenace et torpiditate intestinorum positis; deinde in hydropibus ex torpore organorum abdominalium, statu pituitoso, stasibus systematis venae portae et glandulosi et lymphatici exoriundis. Commendatur etiam in hydrocephalo acuto.

Forma et dosis. Porrigitur radix jalapae aut per se in forma pulveris ad gr. x.-℈j.-ʒß. pro dosi, aut melius cum calomelano aut kali sulfurico conjuncta, ad vim augendam; resina jalapae ad gr. v.-x.-xv. in pilulis aut minus apte in pulvere. Multo fortius agit, radice!

§. 31.

Hydrargyrium muriaticum mite.

Quod remedium dosibus minoribus firmas partes organismi ad fluidisationem proclives facit, secretiones auget; dosibus majoribus praeterea alvi exonerationes copiosas celerrime producit.

Ut remedium derivatorium adhibemus calomelas in febribus nervosis cum affectione inflammatoria intestinorum et proclivitate ad exsudationes et secretiones morbosas, praeterea ibidem, si in magna gravitate capitis, delirio perdurante, perturbatione sensuum, praecipue in obstructione alvi praesenti symptomata haec adaugentur; deinde in inflammationibus, sed hoc casu antiphlogosis antecedere debet, praecipue in stadio crisium accedentium, aut si exsudata jam formata sunt. Gravissimus autem est ejus usus in encephalitide, ubi in decursu celeri mox in usum profertur, uti etiam in ophthalmiis vehementibus. Porro utimur calomelano derivandi caussa ad tractum intestinalem in scarlatina, si proclivitas ad exsudationes aquosas adest, aut eae jam intrarunt; dein in hydrocephalo acuto infantum, aliisque statibus hydropicis, uti etiam in variis affectionibus encephali et capitis, in productis morbosis localibus, positis, itaque in variis morbis nervorum et animi ex iisdem caussis oriundis.

Ad vim calomelanos derivatoriam producendam, id porrigimus ad gr. vj-vjjj, quae intra horas VI—VIII consumuntur, quas doses celeriter

et tuto plures sedes biliosae sequuntur. Majoribus dosibus ad ℈β.-ʒβ isdem effectus producitur, interdum autem adeo minor.

Aut per se porrigitur cum saccharo lactis, aut aliis remediis conjunctum.

§. 32.

Remedia drastica prae ceteris eo excellunt ut minoribus jam dosibus fortiter exaestuent, crebras, copiosas, aquosas sedes promoveant, interdum doloribus vehementibus intestinorum et vomitu comitatas, utque majoribus dosibus veneficia adeo adducant. Huc pertinent:

§. 33.

Aloë s. Gummi aloës.

Aloës variae species Africanae et Asiaticae.— Hexandria Monogynia L. — Asphodeleae R. Brown. — Liliaceae De Candolle. — Aloineae Link. — Cl. IV. Coleophyta F. 57. Coronariae Rchbch.

Part. const. Amaritudo aloëtica, resina aloëtica etc.

Vires. Aloë dosibus minoribus agit tonice, resolvens, secretiones tractus intestinalis et excretiones leniter expediens, affectiones atonia membranae mucosae tractus intestinalis adductas, ut dyspepsiam, obstructionem habitualem tollens; majoribus dosibus drastice purgat, quae vis tamen post quatuor viginti horas demum accedit sedesque firmas magis producit. Praeterea autem aloë majoribus dosibus excitans agit et calefaciens ad organa pelvis et abdominis inferiora, qua de caussa in debilitate eorum torpida, praecipue vasorum venosorum fluxum sanguinis expedit stasesque tollit. In effectu nimio secretiones adeo cruentae organorum uropoëticorum, haemorrhoidalium et uteri exoriuntur, qua re interdum adeo abortus adductus est.

Usus. Propter vim calefacientem, quam in organa abdominalia ostendit, rarius ut remedium derivans adhibetur. Commendata est in suppressione mensium et fluxus haemorrhoidalis, si posita est in asthenia torpida vasorum haemorrhoidalium et uterinorum, praecipue cum suppressio illa aliis cum affectionibus periculosis conjuncta est, et reductione solum secretionum illarum tolli potest; deinde in moliminibus haemorrhoidalibus, si fluxus ille hereditarius est, ut hoc modo affectiones variae congestivae saepe periculosissimae tollantur.

In usu ejus praecipue cavendum est, ne inflammationes et spasmi, aut alia excitatio adsit.

Forma et dosis. Porrigitur ut remedium leniter purgans ad gr. jj-vj, ut drasticum ad gr. x—xx, optime in pilulis, minus bene in pulvere. Extractum aloës in aqua cinnamomi solutum.

§. 34.

Colocynthides s. fructus colocynthidis.

Cucumis colocynthis L. — Monoecia Syngenesia L. — Cucurbitaceae Juss. — Cl. VI. Synpetalae F. 83. Cucurbitaceae Rchbch.

Part. const. Principium amarum drasticum, colocynthinum, principium modice amarum, oleum pingue amarum in aethere non solubile, resina etc. Semina mucum continent et oleum pingue.

Vires. Vis colocynthidum drastica in dosi jam minore vehementer accedit. Membrana intestini crassi mucosa et recti imprimis hoc remedio praecipue affici videtur, ut excretiones promotae saepe cum doloribus intestinorum vehementibus, tenesmo, adeo sero cruento conjunctae sint. Praeterea colocynthides post doses majores inflammationes gangraenosas recti efficiunt. Etiam systema nervosum abdominale et plexus nervorum spinalium inferiores tam

vehementer afficiunt et excitant, ut narcotismum adeo promoveant; dosibus minoribus ganglia nervosa inferiora egregie excitant.

Usus. Remedio derivatorio iis utimur in cephalalgia chronica, spasmis pertinacibus, epilepsia, catalepsia, melancholia et mania, ut aut excitatione systematis gangliosi sphaera nobilior systematis nervosi liberetur, aut stases abdominales, in quibus haec mala posita sunt, tollantur et hoc modo mutatio morbi provocetur.

Forma et dosis. Ut remedium excitans ad gr. $^1/_4$ - $^1/_2$ - j; ut laxans ad gr. jjj - vj pluries per diem; ut drasticum ad gr. vj - x. In pulvere non libenter suppeditantur. Optima forma est infusum (℈j - ʒj ad colat. ℥jv - vj, cujus per diem quater cochlear majus ordinatur). Extractum colocynthidum in solutione et mixturis ordinatur. Tinctura ad gtt. v - x - xx pro dosi.

§. 35.

Herba gratiolae.

Gratiola officinalis L. — Diandria Monogynia L. — Scrophularieae Juss. — Cl. VI. Synpetalae F. 89. Personatae Rchbch.

Part. const. Principium resinosum, principium fuscum gummosum, materia animalis, vegetabilis, sal culinare etc.

Vires. Excitat nervos et vasa abdominis, roborans fibras ibi et solvens systema lymphaticum et gangliosum abdominale. Dosibus minoribus remedium est excitans nervos abdominales et vasa ibi venosa; circulationem sanguinis expedit, stases in organis abdominalibus glandulosis, systemate venae portae solvit, et secretiones excretionesque expedit. Dosibus majoribus vires ejus drasticae cum doloribus intestinalibus et vomitu saepe intrant.

Usus. Gratiola remedio derivatorio utimur in hydropsiis ex statu pituitoso et stasibus abdominalibus oriundis, in helminthiasi, melancholia et mania, quorum caussae in eodem statu positae sunt, in ulceribus pertinacibus et exanthematibus chronicis, si easdem habent caussas. Deinde in delirio potatorum, prosopalgia etc.

Forma et dosis. Pulvis herbae gratiolae ad gr. jj—jv porrigitur, quae dosis paullatim adaugetur, usque dum intret vis purgans, ut remedium excitans et derivans. In morbis psychicis dosis usque ad ʒj augetur. — Forma optima infusum est vinosum (ʒj—jjj ad colat. ℥vjjj). Extractum gratiolae in solutione ad ʒß—j ad ℥j solutionis ordinatur, cujus gtt. x—xx per diem sumi solent.

§. 36.

Gummi guttae.

Hebradendron cambogioides Graham. — Cambogia gutta L. — Garcineae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 131. Guttiferae Rchbch.

Part. const. Resina tingens flava, amylum, arabinum etc.

Vires. Dosibus minoribus secretiones tractus intestinorum et renum adauget, sedesque crebras aquosas producit. Doses majores sequuntur dolores intestinales, sedes aquosae, vomitus, secretio lotii adaucta, adeo symptomata gastroenteritidis.

Usus. Utimur eo remedio derivatorio in hydrope torpido, praecipue in hydrope ascite et hydrothorace, in statibus morbosis organorum nobiliorum, cujus caussae in stasibus venae portae positae sunt; in proclivitate ad impetus apoplecticos commendatum est.

Forma et dosis. Suppeditatur derivandi caussa ad gr. j—jjj in pilulis et pulvere.

§. 37.

Radix hellebori nigri.

Helleborus niger L. — Polyandria Polygynia L. — Ranunculaceae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 121. Ranunculaceae Rchbch.

Part. const. Resina mollis acris, principium extractivum amarum, oleum volatile acre, resina, cera, principium amarum, mucus, acidum gallicum etc.

Vires. Dosibus minoribus hoc remedium vehementer excitat et alterat ganglia abdominalia et pectoris, eoque actionem perversam illorum organorum ad normalem reducit. Dosibus majoribus forte purgat et vomitum excitat, sed interdum dolores colicos, singultum, spasmos pharyngis, gastroenteritidem producit.

Remedio derivante utimur helleboro praecipue in morbis psychicis, ut in melancholia, mania, hypochondria, imprimis si ex stasibus abdominalibus, exanthematibus aut sanguinis profluviis suppressis proficiscuntur.

Forma et dosis. Radix hellebori pulverata ad gr. jj - jv - vjjj, in morbis psychicis ad gr. xv - xxx et plura suppeditatur. Pulvis vehementissime agit, qua de caussa infusum saepe praeferendum erit. (ʒjj - jjj ad colat. ℥jv.)

§. 38.

Oleum crotonis.

Celerrime et tuto efficit sedes copiosas mucosas et aquosas, interdum cum doloribus intestinalibus et borborygmis conjunctas, ad quos accedit etiam interdum vomituritio et vomitus.

Remedio derivatorio eo uti poterimus in illis

affectionibus, quae ex obstructione alvi pertinacissima proficiscuntur.

Suppeditatur ad gtt. $\frac{1}{6}$ - $\frac{1}{2}$ in remedio mucoso aut in elaeosaccharo aut pilulis.

Cap. III.

Remedia diuretica.

§. 39.

Quorum remediorum vis in eo praecipue posita est, ut functionem organorum uropoëticorum adaugeant et adaugentia secretionem lotii excretionem ejus expediant. Qua re utimur singulis his remediis derivationis caussa, ut functione organorum uropoëticorum adaucta actionem morbosam aliis in organis minuamus aut tollamus aut producta ipsa morbosa removeamus. Ceterum haec remedia inter se diversa sunt, cum et refrigerantia sint, et excitantia, et calefacientia, et purgantia, et expectorantia, et adstringentia, qua de caussa in usu eorum judicium accuratissimum desideratur.

Praecipue organa pectoris et cutis externa cum organis uropoëticis consensum quendam ostendunt. quare remediis diureticis derivationis caussa in morbis pectoris hydropicis, in pneumocatarrhis chronicis, dein in hydrope anasarca, sudoribus colliquativis, exanthematibus chronicis etc. adhibemus.

§. 40.

Pertinent huc primum ex remediis diaeteticis: *Herba cerefolii*, *herba et semina petroselini*. *radix et herba apii*, *herba cochleariae*, *turiones asparagi*, *herba jaceae*, *bulbi cepae*, *bulbi allii*; quae vim jam fortiter diureticam ostendunt

sine effectu secundario praevalente. Quae remedia ad aliorum remediorum vim augendam cibis adjiciuntur, vel etiam per se eduntur, optime in infusis et decoctis.

Ex salibus officinalibus huc pertinent: *Tartarus depuratus*, *kali nitricum*, *kali et natron aceticum*, *tartarus boraxatus*, quae praeter vim diureticam refrigerantem quoque ostendunt. Saepe adhibentur ad crises promovendas et expediendas, praeterea etiam in hydrope pericardii et pectoris et ad sudores nimios coërcendos adhibentur.

Praeterea huc pertinent *herba ballotae lanatae*, *herba uvae ursi*, *herba pyrolae umbellatae*, quae remedia principio extractivo amaro et tannico excellunt. Ibi ea adhibemus, ubi praeter vim diureticam una corroborantem et adstringentem, quoad organa abdominis relaxata, optamus. — Evitanda sunt autem in excitatione systematis vasculosi et nervei, in laesione organorum digestionis et proclivitate ad obstructiones.

Alia diuretica sunt illa, quae praeter vim diureticam dosibus majoribus organa digestionis laedunt et vomituritionem et vomitum producunt, qua de caussa cautione necessaria adhibenda sunt. Huc pertinent:

§. 41.

Radix scillae.

Scilla maritima L. — Hexandria Monogynia L.— Asphodeleae Juss. — Cl. IV. Coleophyta F. 57. Coronariae Rchbch.

Part. const. Scillitinum (principium peculiare efficax resinosum), principium extractivum, substantia gelatinosa.

Vires. Minoribus dosibus scilla urinam movet et expectorationem expedit, interdum etiam

diaphoresin augere dicitur. Nonnunquam inter usum ejus pulsus arteriarum et cordis ita diminuti sunt, ut quadraginta solum per sexagesimam adessent. In usu diuturniore digestionem laedit, inque aegrotis debilibus affectiones febriles facile et nervosas efficit. Dosibus majoribus ad gr. v—xv irritationem fortem organorum uropoëticorum et inflammationem, saepe quoque vomituritiones, vomitum et dolores intestinales producit.

Remedio derivatorio utimur scilla praecipue in morbis pectoris et organorum respirationis, imprimis in hydrope pectoris, asthmate, catarrhis chronicis, pneumophthisi pituitosa, tussi convulsiva. — Sed usus ejus cavendus est in statu febrili et inflammatorio.

Forma et dosis. Optime suppeditatur scilla in pulvere ad gr. j-jjj, bis vel ter per diem aut cum remedio aliquo aromatico, aut, si excitationem omnem evitare volumus, cum kali nitrico. — Aut etiam infusum scillae (℈β — ʒβ ad colat. ℥vj) ordinatur.

§. 42.

Radix colchici.

Colchicum autumnale L. — Hexandria Trigynia L. — Colchiaceae De Candolle. — Cl. IV. Coleophyta F. 55. Juncaceae Rchbch.

Part const. Colchicium (alcaloides, quod jam minimis dosibus venenum acerrimum agit), materia pinguis, principium tingens flavum, gummi, amylum etc.

Vires. Dosibus minoribus colchicum mox vim suam diureticam ostendit; in usu diuturniore aut dosibus majoribus organa digestionis laedit, cardialgiam, vomituritionem, vomitum, dolores intestinales, diarrhoeas et tenesmum; interdum etiam pul-

sum retardatum promovet. Dosibus etiam majoribus, uti cetera venena vegetabilia acria gastroenteritidem producit.

Utimur colchico in hydropsiis, arthritide, rheumatismo, catarrhis et exanthematibus chronicis.

Forma et dosis. Raro solum colchicum in pulveris forma adhibetur ad gr. jj—v; Tinctura colchici ad gtt. x—xxx; Vinum colchici ad gtt. xx — xxx. — Acetum colchici pro saturationibus sumitur. — Oxymel colchici mixturis adponitur.

§. 43.

Radix caincae.

Chiococca anguifuga (Martius) nondum satis cognitum est remedium, quod ad organa uropoëtica agere dicitur et ad digestiva; interdum mox quoque vis purgans accedere fertur. Adhiberi potest uti scilla.

§. 44.

Herba digitalis purpureae.

Digitalis purpurea L. — Didynamia Angiospermia L. — Scrophularieae Juss. — Cl. VI. Synpetalae F. 89. Personatae Rchbch.

Part. const. Digitalium (alcaloides?) chlorophyllum, resina, materia pinguis, amylum, tannicum, sales varii etc.

Vires. Dosibus minoribus digitalis excretionem lotii egregie adauget, interdum sudorem quoque movet. Praeterea semper et tuto pulsum retardat, quae vis autem non in debilitando, sed in corroborando systemate sanguinis posita est. Tandem sedat quoque systema nervosum. Dosibus majoribus organa digestionis laedit, et vomituritiones, vomitum, dolores intestinales, diarrhoeas producit; prae-

terea etiam sensus afficit et omnes denique narcotismi affectiones promovet.

Usus. Remedium est primarium in variis affectionibus hydropicis, imprimis in hydrope pectoris et pericardii, in congestionibus passivis ad organa interna, in pneumonusis chronicis, catarrhis chronicis, pneumophthisi incipiente, morbis cordis. — In affectionibus febrilibus et inflammatoriis digitalis omnino evitanda est.

Forma et dosis. Pulvis digitalis ad gr. β-j et plura paullatim ordinatur. — Infusum herbae digitalis (ʒβ-j ad colaturam ℥vj.) — Extractum herbae digitalis in solutionibus et pilulis ad gr. β-j et plura. Ad narcotismum impediendum digitalis cum acidis vegetabilibus conjungitur.

§. 45.

Praeterea huc pertinent remedia resinoso-balsamica et aethereo-oleosa diuretica, uti *baccae et lignum juniperi, balsamum copaivae et peruvianum nigrum, styrax liquidus, terebinthina, oleum terebinthinae, resina pini, pix alba,* quae organa uropoëtica irritant et dosibus majoribus purgant; sed differunt principio acri deficiente, et copia olei aetherei et resinae. Adhibentur praecipue in morbis membranarum mucosarum organorum uropoëticorum, et raro solum in morbis hydropicis.

§. 46.

Tandem etiam huc referenda sunt illa remedia, quae praeter vim diureticam imprimis etiam organa ad sexualia agunt, uti cantharides, meloe majalis et proscarabaeus.

Cantharides. In usu interno cantharides dosibus minoribus virtutem ostendunt irritantem et calefacientem, cum calore adaucto, pulsu accelerato et

secretione urinae adaucta. Doses majores plerumque sequuntur irritationes dolorosae inflammatoriae organorum genitalium et uropoëticorum cum dysuria, stranguria et haematuria; in viris accedit contractio genitalium spastica, priapismus et satyriasis. In organis ceteris, praecipue in digestivis inflammationem producunt et ipsam gangraenam. Adhibentur cantharides remedium derivans in affectionibus hydropicis, in paralysibus aliisque neurosibus, praecipue contra tussin convulsivam, epilepsiam; et contra morsum quoque canis rabidi ut remedium prophylacticum.

Forma et dosis. Suppeditantur cantharides ad gr. $^1/_4$-$^1/_2$ in pulvere aut pilulis. — Tinctura cantharidum ad gtt. v-x p. d. in decocto avenae excorticatae aut aliis remediis mucosis.

Vis *meloes majalis* debilior est, quam cantharidum, sed similis ceterum. Adhibetur iisdem in morbis.

Cap. IV.

Remedia diaphoretica.

§. 47.

Remedia hujus ordinis virtutem habent actionem cutis adaugentem, sudorem promoventem, quae vis est aut magis perdurans, aut volatilis et praeteriens. In remediis singulis hic quoque vis secundaria maxime spectanda est, cum alia sine ulla systematis vasculosi excitatione sudorem moveant, alia una congestiones producant, alia denique vim narcoticam, longius per tempus adhibita, ostendant. In qua vi secundaria positum est, qua de caussa alia in affectionibus et chronicis et acutis, alia vero

in chronicis tantum adhiberi possint, vel certe cautione maxima in acutis egeant. Secretione cutis universae externae promota et adaucta saepe fit, ut derivationem ab organo interno efficiamus, praecipue cum in cute parum timendum sit, ne, uti tractus intestinalis et renes, derivatione morbose afficiatur. Cogitantibus nobis, membranas mucosas antagonistice cum cute externa conjunctas esse, uti etiam cum renibus, cutemque in tela sua peculiari magnum vasorum sanguinis et glandulosorum numerum, ramificationes tenuissimas nervorum et initia vasorum lymphaticorum recipere, facile erit cognitu organa et systemata, in quorum morbis derivandi caussa usurpari queat.

Remedia diaphoretica adhibemus in morbis membranarum mucosarum, in statu pituitoso, praecipue autem in affectionibus catarrhalibus, et imprimis in catarrho organorum respirationis et tractus intestinorum; deinde in affectionibus rheumaticis, ubi remedia illa saepe usu magno usurpantur. Etiam in hydropsiis, praecipue pectoris et abdominis adhibentur, si diuretica non satis agunt; praeterea quoque in excretionibus nimiis, ut in diabete, in morbis cordis et organorum centralium systematis nervei; denique in metastasibus rheumaticis ad pleuram versus, pericardium membranasque cerebri; in exanthematibus acutis et chronicis habitualibus et ulceribus pedum et sudoribus retrogradis.

§. 48.

Pertinent huc remedia fere omnia aethereo-oleosa. Omnia vim diaphoreticam exercent, sed varia cum vi secundaria, cum et systema vasculosum magis minusve exaestuent, et systema nervosum aut excitent, aut sedent, aut alterent, quod in eligen-

dis iis maxime cogitandum est. Forma optima horum remediorum est infusum recens paratum.

§. 49.

Ex remediis ammoniacalibus huc referenda sunt *liquor ammonii acetici s. liquor Mindereri*, *liquor ammonii succinici s. liquor cornu cervi succinatus*. In loco sunt haec remedia, si vim copiose diaphoreticam cupimus et omnem systematis sanguinis excitationem timere debemus, cum sine ulla exaestuatione sudores promoveant. Adhibentur saepissime in affectionibus catarrhalibus et rheumaticis, in metastasibus ad organa interna, in exanthematibus acutis retrogradis. Deinde in morbis nervosis ex refrigerationibus et metastasibus oriundis ex. gr. in epilepsia, trismo, tetano aliisque morbis spasmodicis. Tandem etiam in deliquio animi et morte apparenti, uti eo vim exercere videntur, ut irritatione actionis nervorum periphericorum organa interna liberent.

Forma et dosis. Liquor ammonii acetici ad ʒj - ℥β p. d.; liquor ammonii succinici ad ℈β - ʒβ, optime in infuso recente florum sambuci s. tiliae porriguntur, aut mixturis adponuntur liq. ammon. acet. ℥β - j, liq. C. C. succ. ʒj - jj ad colat. ℥vj.

§. 50.

Oleum animale Dippelii. Quod quoque remedium vim habet diaphoreticam, sed eo ab illis differt, ut systema sanguinis fortiter excitet. Praeterea etiam systema gangliosum excitat, quo a systemate cerebro-spinali derivat et hoc modo sedat et spasmos tollit. — Adhibetur in febribus nervosis, si in affectionibus spasmodicis crises accedere cunctantur, in febribus exanthematicis, si exanthema cunctatur aut recessit et cerebrum affectum est;

in febris intermittentis frigore nimio spasmodico, in cardialgia et colica spasmodica, neuralgiis, aliisque morbis spasticis, ubi auxilio celeri opus est et omnino in morbis nervosis.

Ex remediis acribus et acri-narcoticis, quae praeter vim diaphoreticam virtutes alias fortes plerumque habent, qua de caussa usus eorum rarior esse potest, huc retulerim:

§. 51.

Lignum guajaci.

Guajacum officinale L. — Decandria Monogynia L. — Rutaceae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 123. Sapindaceae Rchbch.

Part. const. Resina guajacina, principium extractivum amarum et mucosum, resina dura etc.

Vires. Dosibus minoribus guajacum secretionem cutis organorum uropoëticorum et tractus intestinalis expedit, qua cum secretione adaucta etiam emendatio ejus, si antea morbosa fuit, conjuncta est. Ad organa abdominis et pelvis resina sua copiosa exaestuantem vim exercet. Dosibus majoribus congestiones sanguinis ad organa centralia et affectiones varias nervosas producit. Post usum diuturniorem vomituritiones, vomitum, dolores intestinales, diarrhoeam etc. efficit.

Utimur guajaco in affectionibus arthritico-rheumaticis inveteratis et inde oriundis, in rheumatismis et exanthematibus chronicis, praecipue syphiliticis, in ulceribus et exanthematibus scrofulosis. In usu ejus prae ceteris status febrilis et inflammatorius absit et digestio bona adsit necesse est.

Forma et dosis. Lignum guajaci in decocto (℥j-jj ad colat. ℔. j.) aut in ptisanis cum aliis remediis conjunctum ordinatur. — Resina guajaci

ad gr. v-x in pulvere, pilulis, electuario et emulsione porrigitur. Tinctura resinae guajaci volatilis ad gtt. xx-xxx pluries de die, sed egregie exaestuat.

§. 52.

Stipites dulcamarae.

Solanum dulcamara L. — Pentandria Monogynia L. — Solaneae Juss. — Cl. VI. Synpetalae F. 90. Solaneae Rchbch.

Part. const. Principium extractivum dulcamarum, materia animalis et vegetabilis, principium extractivum vanillam redolens, sales varii, cera etc.

Vires. Sensu pruriente et urente cutis dulcamara sudores movet fortes, urinamque adauget. Dosibus majoribus veneni narcotici instar agit. In quibusdam hominibus praecipue debilibus jam doses minores diarrhoea, vomituritio et vomitus sequi dicitur.

Utimur iis in exanthematibus chronicis et suppressis, in phthisi incipiente, praecipue pituitosa et tuberculosa, catarrho pulmonali chronico, dein in rheumatismis chronicis, arthritide et syphilide inveterata.

Forma et dosis. Rarissime solum in pulvere ad gr. x-xx p. d.; plerumque in ptisanis (℥j ad colat. ℥xvj.).

§. 53.

Herba aconiti.

Aconitum napellus L. et Aconitum Cammarum L. — Polyandria Trigynia L. — Ranunculaceae Juss. — Cl. VIII. Thalamanthae F. 121. Ranunculaceae Rchbch.

Part. const. Aconitium, principium acre volatile, cera resinoides viridis, principium extracti-

vum acre amarum cum salibus, gummi, albumen etc.

Vires. Jam dosibus minoribus aconitum vim egregiam ad cutem exercet; diaphoresis sequitur pruritu vehemente, neque raro in affectionibus arthriticis in sudorem profusum transire dicitur, qui interdum in organo aegroto solo animadvertitur et in vesiculas humore aquoso repletas exit. Interdum aconiti usum excretio urinae saturatae adaucta sequitur. Dosibus majoribus affectiones inflammatorias organorum deglutiendi, ventriculi et tractus intestinalis, dolores vehementes intestinorum, vomiturationes, vomitum et diarrhoeas producit et omnia narcotici veneficii symptomata.

Utimur aconito in rheumatismo et arthritide pertinacissima inveterata, praecipue in ischiagra, tumoribus arthriticis, cephalalgia et prosopalgia rheumatica, in paralysibus rheumatico-arthriticis, in doloribus osteocopis syphiliticis et ejusmodi exanthematibus, rarius vero in affectionibus spasmodicis et hydropsiis.

Forma et dosis. Pulvis herbae aconiti ad gr. β - j. — Extractum aconiti ad gr. jj - jv in solutionibus per diem. — Tinctura aconiti ad gtt. x - xxx pro dosi.

Cap. V.

Sanguinis missiones.

§. 54.

Et universales et locales saepe derivandi caussa instituuntur, praecipue vero in affectionibus congestivis ad nobiliora organa, imprimis si periculum est in mora, itaque in apoplexia imminente aut jam

praesente, aut si congestiones ad organa nobilia nullo alio modo tolli possunt et in inflammationes transire minitantur, aut timendum est, ne congestione perdurante organon aliquod focus fiat morbi gravioris. Praeterea eas adhibemus in secretionibus sanguinis et normalibus et morbosis subito suppressis, itaque in retentione et suppressione mensium et fluxus haemorrhoidalis; tandem etiam in profluviis sanguinis, praecipue organorum illorum, quae valde proclivia sunt ad congestiones et inflammationes, si profluvium sanguinis activum est, aegrotusque plethoricus est, juvenis et robustus. Evitandae autem sunt sanguinis missiones in profluviis omnibus sanguinis passivis et criticis, uti etiam in aegrotis debilibus.

Sanguinis missiones universales topicis praeferendae sunt, ubi derivatio subita et fortis indicata est; topicis utimur in periculo subito non minitante. Si res urgent, saepe post universales, topicae in usum proferri debent.

Quamvis in usu sanguinis missionum derivandi caussa plerumque locos ab organo affecto remotiores eligamus, si res urgent, exceptiones tamen facere debemus.

Sanguinis missio universalis est aut venaesectio aut arteriotomia. Eligitur aut vena aliqua colli, aut brachii, aut pedis; in arteriotomia plerumque arteria temporalis; sed venaesectio fortis et copiosa arteriotomiam sine dubio compensare poterit. Sanguinis missiones locales hirudinibus, scarificationibus et cucurbitis cruentis instituuntur. Eo inter se differunt, ut ab hirudinibus et scarificationibus major sanguinis copia ex vasibus profundioribus cutis removeatur, in cucurbitis autem praeter sanguinis missionem irritatio etiam vehemens cutis adsit.

Cap. VI.

Remedia emetica.

§. 55.

Inserviunt denique methodo derivatoriae remedia quaedam, quorum vis praecipue ad nervos ventriculi tendit, quaeque dosibus majoribus vomitum promovent. Utimur his remediis in refracta dosi in morbis systematis nervorum, si provinciae ejus nobiliores, itaque sphaera motoria et sensitiva laborat, liberatioque ejus nullo alio modo fieri potest, quam excitatione systematis gangliosi, qua actionem morbosam ex systematibus nobilioribus ad hoc derivemus. — Huc referenda est radix ipecacuanhae, bismuthum nitricum, flores zinci, cuprum ammoniacale, argentum nitricum etc.

THESES.

I.

Sine omni bono successu nervus facialis in prosopalgia persecatur.

II.

Saliva in chymificatione non est omnino opus.

III.

Superfoecundatio fieri potest, non superfoetatio.

IV.

Profluvia sanguinis ex caussis internis supprimere in singulis casibus indicatum est.

V.

Scirrhus exstirpatione non curatur.

VI.

Synchondrotomia in partibus irregularibus non auxilium.